

igitur, et fidelitati vestre sicut per alias literas nostras, sic presentibus firmo firmius reginali damus sub edicto, quatenus visis presentibus prefatos Olachos tam nostros, quam prefati Johannis filii Ivan Nyelpecy, contumaces et rebelles, de ipsorum districtu Sibenicensium expellere et remove, medietatemque dictorum florenorum, iuxta continentias aliarum literarum nostrarum vobis loquentium, publice exigere, aliam vero medietatem eorundem predictis fidelibus civibus nostris Sibenicensibus per dictos Olachos persolvi et administrari facere debeatis plene et integre, dissimulatione et occasione quibuslibet procul motis, et aliud sub obtentu nostre gratie facere non ausuri in premissis, ne iidem ulterius nobis conquerantur in hac parte. Insuper committimus vobis, ut nullus Olachus per totam Bosilinam possit neque valeat stare, pascui facere, nec morari ullo tempore, modo superius expresso; pro eo videlicet, quod dicti Olachi, in dicta Bosilina commorantes, non tantum Sibenicensibus, sed etiam Cameris Salium nostrorum ac navigantibus per mare inferunt gravamina non modica, atque dampna et spolia perpetrant incessanter, imo super omnibus premissis, ex parte predictorum Olachorum ipsis Sibenicensibus congruam impendatis satisfactionem, dictante iuris equitate. Et hoc idem iniungimus aliis Banis et Vice Banis ipsorum dictorum regnorum nostrorum Dalmatie et Croatiae in futurum constituendis, dantes eisdem similibus sub preceptis. Datum feria secunda proxima ante festum beati Adalberti Martyris. Anno Domini Millesimo trecentesimo LXXX tercio. Presentes autem post lecturam reddi iubemus exhibenti. Datum ut supra.

Infra Sigillum, cerae rubrae in ipsa pergamena ab intus impressum, legi possunt haec:

Relatio Comitis Nicolai de Zeech, Judicis Curiae Regiae, ad consequentiam nostrarum litterarum prius datarum.

Collat. cum Origin. autograph. collectionis Nic. Janković. — G. Fejér. Codex Dipl. T. 10. Vol. 3. pag. 2—4.

CX.

Anno 1383. Budae.

Maria Regina civibus Ragusinis privilegium vendendi salis ac vini confirmat.

Nos Maria Dei gratia Regina Vngariae, Dalmatiae, Croatiae etc. Notum facimus tenore praesentium, quibus expedit universis, quod fideles nostri rector, iudices, consilium et commune civitatis nostrae Ragusii, missis ad nostram Maiestatem providis viris Petro de Gondola et Stephano de Luccaro, eorum civibus, nunciis et ambasciatoribus, nobis humiliter significarunt, quod nonnulli